Stanislaus Augustus Dei Gratia Rex Poloniæ Magnus Dux Litthvaniæ Russiæ Prussiæ Masoviæ Samogitiæ Kijoviæ Volhiniæ Podoliæ Podlachiæ Livoniæ Smolensciæ Severiæ Czerniechoviæque

3 [illegible]

N.o 20. 2. cz. złt. [illegible]

Significamus præsentibus Literis nostris quorum interest Universis et Singulis Quia Nos habito Respectu meritorum Generosi Theophili Szymanowski Commissarij Commissionis Civilis Bellicæ Terræ Varsaviensis faciendum esse duximus, ut Ipsi Tribunatum minorem Ejusdem Terræ Varsaviensis post Ascensum Generosi Joannis Gołaszewski ad Ensiferatum itidem Varsaviensem vacantem et ad Dispositionem Nostram Regiam devolutum daremus et conferremus prout quidem præsentibus Literis nostris cum Omnibus Juribus Prærogativis Munijs Immunitatibus de Lege et Antiqua praxi ad hocce munus pertinentibus ad Extrema vitæ suæ tempora vel Altioris Alicujus Dignitatis aut Officij Assecutionem tenendum, habendum, et obeundum damus et conferimus Quod Omnibus quorum interest præsertim vero Magnificis Senatoribus Generosis Dignitarijs Officialibus Universæque Nobilitati Palatinatus Masoviæ et signanter Terræ Varsaviensis Notum esse volentes Mandamus ut præfatum Generosum Theophilum Szymanowski abhinc pro Vero, legitimo et Actuali Tribuno minori Terræ Varsaviensis habeant, nominent, et agnoscant. Eique de loco Juribus Prærogativis hocce munus concernentibus et Ipsi respondeant et ab alijs responderi curent Pro Gratia Nostra In quorum fidem præsentes Manu nostra Subscriptas Sigillo Regni communiri Jussimus Datum Varsaviæ Die XXV Mensis Februarij Anno Domini MDCCXCII. Regni vero nostri XXVIII. Anno.

Stanislaus Augustus Rex

Tribunatus Minor Terræ Varsaviensis post ascensum Generosi Joannis Gołaszewski ad Ensiferatum itidem Varsaviensem vacans Generoso Theophilo Szymanowski Commissario Commissionis Civilis Bellicæ Terræ Varsaviensis confertur.

Nicolaus Sikorski S.æ R.æ M.tis et Sigilli Minoris Regni Secretarius.

1792

20.

Pro Cancellariatu
Exllmi Illmi et Rmi Dni
Hugonis Stumberg
Kołłątay
Pro Cancellarii Regni.
Canonici Cathedralis Cracovien
Sigillatum
est in Actis

Woj. i Miejska Biblioteka Publiczna
BIBLIOTEKA
Główna
w Bydgoszczy

RKP 1224/52

549